

Et quia de materia huius 33 distinctionis, scilicet an proprietates relative sit idem quod essentia in divinis, dictum est superius conclusione 3 quaestionis 25 et conclusione tertia quaestionis 28. Ideo circa proprietates relativas alia inquirendo iuxta propositum quero scilicet:

Utrum proprietates relative in divinis personis dicant perfectionem absolute. Quod non, probatur sic. Relatio summi non dicit perfectionem in divinis personis absolute, igitur consequentia nota, quia si aliqua relatio in Deo diceret perfectionem absolute hoc maxime videtur de relatione summi cum relatio summi et perfectissimi sint idem. Sed patet antecedens, quia Deus potest non esse summus nec perfectissimus, non tamen potest aliquam suam perfectionem absolute perdere. (72vb) Sed quod possit non esse summus apparet, quia totum ens creatum potest desinere esse, quo facto quia Deus non habebit inferius ipse non erit summus et per consequens nec perfectissimus, quia superlativum semper presupponit suum positivum.

Ad oppositum sic arguitur. Proprietates relative in divinis personis sunt divina essentia, igitur consequentia nota, quia divina essentia dicit perfectionem simpliciter et absolute. Et antecedens apparet per magistrum quasi per totam istam distinctionem 33.

Respondeo supponendo quod in ista quaestione tota pro eodem intelligo dicere perfectionem absolute et dicere perfectionem simpliciter, pono igitur conclusiones. Prima conclusio est quod proprietates relative in divinis suppositis simpliciter sunt infinite probatur tripliciter.

Primo sic: verbum divinum est simpliciter infinitum, igitur. Consequentia nota, quia verbum divinum est suppositum relativum, ut patuit quaestione 29, conclusione prima, et proprietates relative nullo modo distinguuntur in divinis a suppositis relativis, ut ponit Magister in ista 33 distinctione. Igitur si verbum divinum est simpliciter infinitum, sequitur quod filiatio est simpliciter infinita, igitur et paternitas et sic de aliis proprietatibus relativis. Sed probatur antecedens, quia verbum infinitorum est simpliciter infinitum. Sub ratione qua verbum patet, quia verbum duorum maius est quam unius tantum et trium magis quam duorum. Igitur et verbum infinitorum erit infinitum. Sed verbum divinum est verbum formatum de sibilibus infinitis, cum Pater essentiam suam et universam creaturam factam vel factibilem dixerit verbo suo coeterno, cum igitur non sit dubium quod talia sabilia sint infinita, sequitur quod verbum sub ratione qua verbum sit formaliter infinitum.

Secundo sic: aliqua relatio creata est infinita, igitur et divine proprietates relative. Consequentia nota per locum a maiori. Probatur antecedens, scilicet quod de facto sit aliqua creata relatio infinita, quia posito quod duo sint albi in eodem gradu albedinis, tunc similitudo inter istos est infinita. Probo, tum quia Deus maiorem similitudinem inter duo alba non potest facere, tum etiam quia similitudo excedens aliquam similitudinem datam vel dabilem absque omni mensura et proportione est infinita. Patet ista, quia omne finitum quod ab aliquo finito exceditur in aliqua certa mensura exceditur et (73ra) etiam proportionis. Sed dicta similitudo excedit aliquam similitudinem datam vel databilem absque omni mensura numero vel proportione. Quod probo, quia positus illis duobus albis in eodem gradu albedinis sint A et B ponatur etiam tertium in eodem gradu, et sit C tunc duplet Deus albedinem ipsius C. Tunc A et B sunt in duplo similiores quam sit A et C, si vero triplicetur albedo ipsius C, tunc A et B in triplo sunt similiores quam A et C, similiter si quatuorpletur, erunt similiores in quatuorplo, et sic in infinitum. Igitur si albedo ipsius C infinitetur ita quod sit albedo infinita, tunc A et B sine omni gradu mensura vel proportione erunt similiores quam sit A et C, sed illa albedo potest a

Deo infinitari, cum deus possit facere albedinem infinitam. Ista rationem pono non quia credam eius antecedens esse verum, sed solum gratia magne apparentie quam habet apud aliquos, sed inferius ipsam solvam, scilicet quaestione 47, conclusione secunda et eodem modo posset probari quod esset aliqua dissimilitudo infinita.

Tertio sic: relatio excedens aliquam relationem in infinitum et sine mensura et proportione est simpliciter infinita, sed relatio vel proprietas relativa divinarum personarum est huiusmodi, igitur. Patet maior, quia finitum a finito solum finite exceditur. Sed probatur minor, quia filiatio increata excedit infinite sine mensura et proportione omnem filiationem creatam. Aliter Deus posset creare aliquam filiationem que non excederetur a filiatione increata, quod non videtur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: proprietates relative formaliter non sunt quante quantitate mollis, nec virtutis, igitur nec infinite. Consequentia nota, quia ratio finiti et infiniti quantitati congruit, 1 Phisicorum textu commenti 15, quod exponitur communiter vel de quantitate mollis vel virtutis. Sed antecedens patet. Primo de quantitate mollis notum est, sed de quantitate virtutis patet, quia omne habens quantitatem virtutis potest esse principium alicuius actionis, proprietates autem relativa formaliter, ut puta paternitas vel filiatio non est principi- (73rb) um actionis, sed magis oritur ab actione.

Secundo sic: si proprietates relative divinarum personarum essent infinite, sequeretur quod persone divine essent formaliter infinite, sed hoc est falsum, quia tunc essent tres infiniti et immensi, contra Athanasium in simbolo dicentem quod non sunt tres immensi, sed unus immensus. Tertio arguitur contra probationem antecedentis secundi argumenti pro conclusione qua probatur quod aliqua relatio creata sit infinita. Quia si illa ratio sit bona eodem modo sequeretur quod omnis quantitas sit infinita. Consequens falsum. Probo consequentiam eodem modo arguendo de quantitate, sicut ibi arguitur de similitudine quod quantitas excedens aliquam quantitatem datam vel databilem absque omni mensura et proportione est infinita. Sed quantitas pedalis est huiusmodi. Probo minorem, quia potest esse ac dari aliqua quantitas in duplo minor et in triplo et in quatruplo, et sic in infinitum, cum talis quantitas sit in infinitum divisibilis, igitur illa talis pedalis quantitas est infinita, sed conclusio est falsa, igitur aliqua premissarum. Et non minor, ergo maior. Igitur et maior illius rationis facte ad probandum aliquam relationem creatam esse infinitam qua dicebatur quod similitudo excedens aliquam similitudinem datam vel databilem absque omni mensura et proportione est infinita.

Respondeo.

Ad primum, dico quod quamvis relationi formaliter non congruat quantitas mollis vel virtutis active, sibi tamen congruit gradus et quantitas entitatis. Et ideo quaelibet relatio necessario habet entitatem limitatam vel illimitatam, finitam vel infinitam.

Ad secundum dico quod quaelibet persona divina est infinita et quod sunt tres persone infinite, nec tamen propter hoc debet absolute concedi quod tres persone divine sint tria infinita simpliciter. Sed semper cum additione, ut puta quod sunt tres infinite personalitates, vel tres infinite proprietates, vel quod verbum divinum est infinitum verbum et spiritus sanctus est infinitum donum. Et pater est infinitus dicens, et ratio huius est quia si absolute concederetur quod sunt tres infiniti intelligeretur quod essent tres dii, utpote quia absolute et simpliciter infiniti et ideo ad hoc aspiciens Athanasius dixit quod non tres immensi, sed unus (73va) immensus. Quod sicut non sequitur 'Pater est Deus, Filius est Deus et Spiritus Sanctus est Deus, et pater et filius et spiritus sanctus sunt tres, igitur sunt tres dii', sicut non sequitur 'Pater est

infinite, filius est infinite et spiritus sanctus est infinite. Et pater et filius et spiritus sanctus sunt tres, igitur sunt tres infinite.

Ad tertium dico quod ratio tua non est similis mee ex hoc quia deductio mea talis est quod potest poni in esse qua scilicet dico quod albedo C potest duplicari et triplicari, et sic in infinite, quia de facto potest poni in esse ipsius C albedo infinite. Sed non talis est deductio tua, quia licet possit esse vel dari aliqua quantitas in duplo minor quantitate pedali et in triplo et sic ultra, non tamen potest de facto infinite minor quantitatis poni, quia repugnat quantitati continue quod sua divisio possibili in esse sit posita.

Secunda conclusio est quod proprietates relative in divinis suppositis sunt perfectiones infinite.

Probatur tripliciter. Primo sic: proprietates relative in divinis suppositis sunt perfectiones, et non finite, igitur sunt perfectiones infinite. Consequentia nota, quia finitum et infinite sufficienter dividunt omne ens, sed antecedens patet quantum ad primam partem, quod sint perfectiones quia sunt ens, sed ens bonum et verum convertuntur et omne bonum dicit perfectionem aliquam similiter et omne verum. Sed quod non sint perfectiones finite patet, tum quia essentialiter sunt infinite, ut dicit precedens conclusio, tum quia vel finitum vel limitatum in Deo poni potest cum omne tale sit Deus.

Secundo sic: essentia divina est perfectio infinite, igitur. Consequentia nota, quia dicte proprietates sub ratione qua proprietates sunt sunt idem simpliciter quod est ipsa essentia. Et antecedens notum, quia ipsa divina essentia vel Deus est "id quo maius cogitari non potest".

Tertio sic: illud est perfectio infinite cuius privatio esset privatio perfectionis infinite. Sed privatio proprietatum relativarum in divinis suppositis esset privatio perfectionis infinite, igitur. Maior patet, quia tantum res est bona vel perfecta quantum eius privatio vel carentia est mala vel imperfecta. Sed minor patet, quia privatio paternitatis divine esset privatio patris eterni et immensi, et pri- (73vb) vatio filiationis similiter dicit privationem verbi immensi, et sic privatio spirationes passive Spiritus Sanctus. Et tamen immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: si conclusio esset vera, sequeretur quod nulla persona divina esset simpliciter perfecta. Consequens falsum et probatur consequentia. Quia illud quod caret aliqua perfectione non est simpliciter perfectum, sed si conclusio sit vera quaelibet persona divina careret aliqua perfectione, igitur. Maior patet 5 Metaphisice textu commenti 21. Et minor probatur, quia quaelibet persona divina caret aliqua proprietate pluraliva, ut puta pater careret filiatione et eius careret paternitate. Et istam rationem dicit Petrus Aureolus demonstrative concludere.

Secundo sic: si conclusio sit vera, sequitur quod una persona divina in perfectione excedat aliam, sic quod non sint equales imperfectione. Consequens falsum et contra Magistrum libro 1 distinctione 20. Probatur consequentia, quia tunc plures perfectiones essent in una persona quam in alia, cum in una sint plures proprietates relative quam in alia. Nam in patre sunt due proprietates relative scilicet spiratio activa et paternitas. In spiritu sancto non nisi una spiratio passiva.

Tertio arguitur contra secundam rationem factam pro conclusione qua arguitur sic: essentia divina est perfectio infinite, igitur et proprietates relative cum sint idem, quia si hec ratio esset bona, sequeretur quod proprietates relative in divinis essent quid absolutum arguendo sicut ibi arguitur. Essentia divina est quid absolutum, igitur et proprietates relative. Patet consequentia,

quia sunt idem, sed consequens falsum, igitur. Consequentia non valet, que tamen est eadem consequentia cum illa.

Respondeo. Ad primum nego consequentiam. Ad probationem, quia illud quod caret aliqua perfectione non est simpliciter perfectum, dico quod ista propositio est vera solum in perfectionibus finitis, quia tunc due tales perfectiones, scilicet finite dicunt maiorem perfectionem quam una sola et de talibus intellexit Aristoteles, sed si aliqua essent perfectiones infinite quarum scilicet quaelibet esset perfectio infinita, tunc eque perfectus esse (74ra) habens unam illarum, sicut habens duas. Queat quaelibet per se ita redderet ipsum perfectum in infinitum, sicut due insimul. Et sic est in proposito.

Ad secundum negatur consequentia. Ad probationem patet per illud quod statim dictum est ad primum argumentum.

Ad tertium dico quod consequentia secunda factam pro conclusione fuit bona. Similiter concedo istam quam nunc facis quis dicis. Essentia divina est quid absolutum, igitur et proprietas relativa est quod absolutum concedo consequens. Unde quod proprietas relativa vel relatio in divinis sit quid absolutum non minus est verum quam quod pater sit Deus vel quod quicquid est in Deo sit Deus. Dico tamen quod licet ipsa proprietas relativa in divinis sit quid absolutum quia est essentia que est quid absolutum, non tamen a nobis intelligitur per modum absoluti. Sed per modum respectivi sic licet essentia sit quid relativum, quia est ipse pater tamen non intelligitur a nobis per modum relativi, sed per modum absoluti etc.

Tertia conclusio est que sequitur ex predictis. Quod proprietates relative in divinis suppositis non solum huic, sed universaliter sunt perfectiones absolute quam, pono contra Paulum. Probatur tripliciter. Primo sic: illud cuius esse cuilibet entitati est melius quam suum non esse illud tale dicit perfectionem universaliter vel simpliciter sed esse proprietatis relative in divinis suppositis cuilibet entitati, tam create quam increate, est melius quam suum non esse, igitur. Maior patet per diffinitionem perfectionis simpliciter datam ab Anselmo Monologion capitulo 3 dicente quod perfectio simpliciter est quod est melius cuilibet ipsius esse quam suum non esse. Sed minor patet, quia ad non esse proprietatis divine sequitur non esse entis creati et increati de increato. Apparet, quia ad non esse paternitatis sequitur non esse patris et ad non esse patris sequitur non esse filii et ad non esse patris et filii sequitur non esse Spiritus Sancti. Similiter sequitur de ente creato, quia ad non esse entis increati sequitur non esse cuiuslibet entis creati.

Secundo sic, per adversarium: Proprietas relativa ideo non dicit perfectionem simpliciter et universaliter, ut puta paternitas, quia in (74rb) filio non est melius suum esse quam suum non esse et similiter spiritus sanctus. Tunc arguo sic per oppositum: illud esse est melius Patri et Filio et Spiritui Sancto per cuius non esse destruitur suppositum Patris et Filii et Spiritus Sancti. Sed per non esse paternitatis destruitur suppositum Patris et Filii et Spiritus Sancti, igitur. Maior patet per ipsum qui probat quod paternitas sit melius patri quam suum non esse per hoc quod illud est melius Patri quo ablato destruitur suppositum patris: sic et in proposito. Sed minor apparet per deductionem minoris precedentis argumenti. Tunc igitur arguo sic in quolibet supposito increato melius est esse paternitatis quam suum non esse, igitur paternitas dicit perfectionem simpliciter et universaliter. Consequentia patet, quia solum ex opposito antecedentis movetur ad dictam conclusionem ponendam. Antecedens patet per deductionem statim factam.

Tertio sic: illud quod dicit perfectionem infinitam et nullo modo limitatam dicit perfectionem simpliciter et non solum huic proprietates relative divinorum suppositorum sunt huiusmodi, igitur. Maior patet, quia ex opposito subiecti sequitur oppositum predicati, sequitur enim hoc dicit perfectionem solum huic, igitur est limitata perfectio, et minor est precedens conclusio.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: proprietas relativa divini suppositi non est in quo licet melius quam suum non esse, igitur non dicit perfectionem simpliciter. Consequentia nota per diffinitionem perfectionis simpliciter. Et antecedens patet, quia in patre non est melius esse filiatione quam suum non esse, aliter enim pater posset esse perfectior quam sit.

Secundo sic: omne quod dicit perfectionem simpliciter est commune tribus personis. Sed proprietas relativa non est communis tribus personis, igitur. Maior patet, quia aliter aliqua persona careret aliqua perfectione simpliciter. Et minor patet, quia paternitas solum convenit Patri et non Filio nec Spiritui Sancto.

Tertio arguitur sic per Anselmum Monologion capitulo 15 expresse oppositum dicte conclusionis determinans dicit quod nullum eorum que relative dicuntur significat aliquid tale quod simpliciter melius est.

Respon-(74va) deo. Ad primum dico quod illa diffinitio perfectionis simpliciter qua dicitur quod perfectio simpliciter est cuius esse cuilibet est melius quam suum non esse potest dupliciter intelligi. Uno modo quod illud quod dicit perfectionem simpliciter sit melius cuilibet entitati, ut sit formaliter illud quam non sit illud. Et tunc est falsa, quia tunc Deus non diceret perfectionem simpliciter, cum non sit melius cuilibet entitati quod sit Deus formaliter quam quod non sit Deus cum hoc nullomodo habeat nec habere possit rationem entis vel possibilitatis. Alio modo quia illud dicitur perfectio simpliciter cuius esse positio cuilibet est melius quam sui esse privatio. Et sic debet intelligi. Et isto modo sapientia dicit perfectionem simpliciter, quia per esse sapientie melius est cuilibet entitati quam si nulla foret sapientia, similiter bonitas divinitas deitas paternitas divina filiatio et huiusmodi. Et per hoc patet qualiter illud antecedens debet intelligi quo bene intellecto. Negatur consequentia.

Ad secundum dico quod maior dupliciter potest intelligi. Primo quod omne quod dicit perfectionem simpliciter formatur et quocumque modo intelligatur est commune tribus personis, et sic negatur. Alio modo quod omne tale est aliquid quod est commune tribus personis et sic conceditur.

Ad probationem, maior negatur quod ex hoc aliqua persona careret perfectione simpliciter, tum quia quelibet persona est aliquid realiter quod est illa perfectio, tum quia quaelibet persona est perfecta infinite. Tum quia omnes proprietates solum dicunt unam perfectionem in divinis, licet illa perfectio sit diverse proprietates, sicut in divinis solum est una essentia, licet illa sit tres persone.

Ad tertium dico quod Anselmus loquitur de relativis que ponuntur sub genere relativorum et huiusmodi non sunt proprietates relative personarum vel de relationibus divinis precisus ab essentia et sic conceditur. Tamen ex hoc non sequitur quin realiter et formaliter dicant perfectionem simpliciter cum realiter nullo modo ab essentia possunt prescindere cum sint idem quod ipsa essentia.

Ad argumentum in principio factum, dico quod ratio summi ut dicitur relative ad inferiora non est de proprietatibus respectivis personarum (74vb) de quibus loquitur presens quaestio etc.

Et quia Magistrum in distinctione 34 conatur asserere quod divina persona non differt ab essentia ita quod essentia et persona sunt unum. Ideo posset quis dubitare an in via vel in patria quis personam sine essentia valeat cognoscere et de statu vie superius dictum est quaestione 24.